

TITULUS XXVIII.

De Sepulturis.

1. *Ratio continuationis.* — In præcedentibus ultimis duobus titulis actum est de testamentis, et aliis ultimis voluntatibus, nec non de successione ab intestato, quæ non nisi post mortem suam sortiuntur effectum; c. *Cum Marthæ*. 6. de *Celebrat. Miss.* Hinc quia mortem illico sequitur sepultura, recto ordine præfatis præcedentibus sequentem subjungit titulum compiler canonum.

§ 1.

DE NATURA, LOCO ET JURE SEPULTURÆ.

2. *Varia acceptio sepulturæ.* — Notandum prius sepulturam tripliciter accipi. I. Pro jure sepeliendi corpora, seu cadavera mortuorum. arg. Clem. 2. h. t. et aliis juribus infra citandis. II. Pro ipso loco, in quo cadavera sepeliuntur. can. *Aurun.* cau. 12. q. 2. et c. III. h. t. cum concordantis. III. Pro actu, ritu seu officio, quod in humanis et sepeliendis corporibus impenditur. can. *Dictum*, 105. cau. 1. q. 1. et can. *Præcipiendum*. 15. cau. 13. q. 2. In præsentibus præcipue erit sermo de sepultura in secundo sensu, qualenus nempe significat locum, in quo cadavera mortuorum sepeliuntur. Et de hac

3. *Sepulturæ definitio.* — Quæritur I. Quid sit sepultura? Resp. « Est locus auctoritate episcopi benedictus, in quo cadavera catholicorum pie decedentium sepeliuntur. » Ita Glossa, in can. 14. cau. 13. q. 2. *¶ Si terram*; Abbas, in *Rubr.* h. t. n. 1. et in re communis; patetque definitio ex terminis. Dicitur « Locus benedictus, » quia quamvis olim ipsa corporis humatione, seu per ipsum corpus humatum seu sepultum locus redderetur religiosus et benedictus, uti expresse habetur l. II. et l. *Cum in diversis* 44. ff. de *Religios. et sumpt. funer.* hodie tamen specialiter auctoritate episcopi benedici debet, ad hoc, ut dici possit sepultura, uti habet Glossa communiter recepta in can. *In ecclesiastico*. 14. cau. 13. q. 2. *¶ Si terram.* arg. c. *iv. de Religios. dom.* Dicitur « Catholicorum: » quia juxta dicenda infra n. 77. et 78. qui catholicus non est, in sepultura ritu catholico benedicto, sepeliri non potest; sicut neque catholicus in statu gravis peccati notorie de-

cedens, et ideo etiam additur « pie decedentium. »

4. *Locus sepulturæ ordinariæ est cœmeterium.* — Quæritur II. Ubinam, et quæ loca deputari et servire possint pro sepultura? Resp. I. Regulariter loquendo, locus sepulturæ est atrium, aut porticus, vel aliud terræ spatium prope Ecclesiam, quod hodie cœmeterium communiter vocatur. Communis textu claro can. *Præcipiendum*. 15. cau. 13. q. 2. ibi: « Prohibendum est etiam secundum majorum instituta, ut in Ecclesia nullatenus sepeliantur: sed in atrio aut in porticu, aut in exhedris Ecclesiæ. » Vocatur autem *cœmeterium*, can. 1. cau. 13. q. 1. et alibi, quod græce idem significet, ac *dormitorium*: quia ibi requiescunt corpora catholicorum, qui ob spem resurrectionis non tam mortui jacere, quam dormire dicuntur, *Joan.*, cap. xi, 11. et I ad *Thessal.*, iv, 12. ibi: *Nolumus vos ignorare de dormientibus*, in quem textum S. Hieronymus ait, « eos dormientes appellari, quia certum est, eos resurrecturos. »

5. *Quæ etiam ab Ecclesiis remota esse possunt: et quare?* — Porro licet, ut dictum, cœmeteria plerumque prope Ecclesiam fiant, possunt nihilominus etiam in remotis ab Ecclesia locis constitui, ibique sepeliri cadavera, præsertim tempore pestis, uti post *Sylvestrum*, *¶ Sepultura*. q. 1. bene notat Van Espen, p. II. tit. XXXVIII. de *Sepultur.* c. II; Pirhing, h. t. n. 2. et alii, consuetudine ad dente robur. Imo l. III. § 5. ff. de *Sepulc. violato*, sub pœna 40. aureorum statuit, ne quis in civitate sepeliretur, ne scilicet communitas fœtore inficeretur. Et quamvis hæc lex non stringat amplius, tamen ob rationem legis factum esse, credibile est, quod hodie in magnis civitatibus cœmeteria extra civitatem erigantur, *Gottes-Acker* vocant. Dicitur autem notanter in conclusione « regulariter loquendo, » nam

6. *In Ecclesiis olim nemo poterat sepeliri: bene tamen hodie.* — Resp. II. Quævis olim in solis cœmeteriis, et nullus in Ecclesia sepeliri potuerit, uti patet ex cit. can. *Præcipiendum*. 15. cau. 13. q. 2. ubi habentur hæc verba: « Intra Ecclesiam vero aut prope altare, ubi Corpus et Sanguis Domini conficitur, nullatenus sepeliantur. » et can. *Nullus*. 18. ead. caus. et q. ibi: « Nullus mortuus intra Ecclesiam sepeliatur, nisi episcopi, aut abbates, aut digni presbyteri, vel fideles laici: » ubi per « fideles laicos » intelliguntur laici in fama sanctitatis, et miraculis clari

juxta Glossam ibidem, *¶ Fideles*, tamen hodie et jure, et consuetudine introductum habetur, quod quivis catholicus sive clericus, sive laicus etiam in Ecclesiis sepeliri queat, c. *Ex parte*. et c. *Cum liberum*. 6. h. t. juncto can. *Cum gravia*. 17. cau. 13. q. 2. ubi ratio (quæ etiam de cœmeteriis prope Ecclesiam militat) additur, videlicet, ut « defunctorum proximi, quoties ad eadem loca sacra (cœmeteria nempe, et per ea ad Ecclesias) veniunt, suorum, quorum, sepulchra aspiciunt, recordentur, et pro eis domino preces fundant. » Est et alia ratio, ut crebro illuc venientes homines mortalitatis, et mortis sibi imminentis utiliter recordarentur. Varro, lib. V. de *Lingua latina*.

7. *Dissuadetur abusus, quo nimis multi sepeliuntur in Ecclesiis.* — Notat tamen Bernard. Van Espen, p. II. tit. XXVIII. de *Sepulturis*, cap. II. n. 34. magnum circa sepeliendos in Ecclesia abusum hodierno vigere tempore, ita ut Ecclesiæ videantur quasi cœmeteria divitum, cœmeterio communi in solam pauperum sepulturam relicto. Quem abusum non tantum rationibus dissuadet, sed et necessariam ejusdem eliminationem ex pluribus recentioribus conciliis demonstrat. Inter quæ concilium Rothomanense 1581. tit. de *Curatorum officiis*. n. 31. sic ait: « Non adeo promiscue mortui sepeliantur in Ecclesiis, sed hoc servetur Deo sacratis specialiter hominibus, eo quod præ aliis eorum corpora templum sint Christi, et Spiritus sancti; et aliis in sublimitate et dignitate tam ecclesiastica quam sæculari constitutis; quandoquidem et isti Dei ministri sunt, atque organa Spiritus Sancti. Aliis insuper, qui nobilitate, vel virtutibus vel meritis erga Deum, et rempublicam fulgent. Cæteri pie et religiose in cœmeteriis ad hoc dedicatis sepulturæ tradantur. » Concilium Remense 1585. tit. de *Sepulturis*, ordinavit: « Ut omnes christiani, quibus sepultura non est interdicta, in cœmeteriis, non autem in Ecclesiis sepeliantur, nisi forte de consensu superiorum superiores autem non passim omnibus id privilegium concedant, sed in ejusmodi concessionibus delectum habeant personarum. » Imo idem concilium ad tollendos abusus statuit, « ut in Ecclesiis deinceps nulli sepeliantur, nisi fuerint sacerdotes, vel sacris initiati, vel religiosi, ecclesiarumque patroni. Alii autem, qui nobilitate, auctoritate, meritisque in Deum, et religionem commendati fuerint, ad id cum licentia episcopi admittantur. Cæte-

ros vero in Cœmeteriis, quæ olim etiam illustriores non aspernabantur, sepeliri mandamus. »

8. *Concordat Rituale Romanum sub Paulo V. editum, dum dicit: « Ubi viget antiqua consuetudo sepeliendi mortuos in cœmeterio, retineatur, et NB. ubi fieri potest, restituatur. »* Addit insuper: « At vero, ubi locus sepulturæ dabitur in Ecclesia, humi tantum detur, cadavera autem prope altaria non sepeliantur. » Hinc in multis locis decreta synodalia extant, vi quorum sine expressa episcopi licentia in Ecclesia nemo sepeliri potest. Certe episcoporum erit, intuitu tot conciliorum vigilare, ut abusus hic in diocesis eorum tollatur. Van Espen, loc. cit. n. 43. (ADNOTATIO XXXVI.)

9. *Ubi quis eligit sepulturam, ibi sepeliri debet.* — Quæritur II. Ubinam quivis, seu in quo cœmeterio, vel Ecclesia sepeliri debeat? Resp. I. Qui sibi eligit sepulturam, in eo sepeliri debet, etsi sit aliena, cap. I. h. t. ibi: « Nulli tamen negamus propriam eligere sepulturam, et etiam alienam: Dominus enim et magister elegit alienam ut propriam. » Concordat, c. *Cum super*. 8. et c. *In nostra*. 10. h. t. sicut et c. I. et II. eod. in 6. dummodo non eligat locum profanum, sed religiosum, cui vel a jure communi, vel ex privilegio jus sepulturæ competit, c. III. h. t. et c. XVI. de *Excess. prælat.* et eligere sibi sepulturam per jura non prohibeatur. Quibus autem locis jus sepulturæ competat, dicitur infra n. 29. Qui vero eligere sepulturam de jure non possint, dicitur § seq.

10. *Si nulla eligitur sepultura, quivis sepelitur in sepulcro majorum.* — Resp. II. Qui sibi ipsi sepulturam non eligit, sepeliri debet in sepulcro majorum suorum. Caret controversia, claris juribus c. I. h. t. ibi: « Statuimus, unumquemque in majorum suorum sepulcro jacere, ut patriarcharum exitus docet. » Concordat, cap. II. et III. eod. in 6. ibi: « Is, qui non electu sepultura decessit, in ea, in qua majorum ipsius ab antiquo sepultura existit, sepeliri debet; dummodo absque periculo ad ipsam valeat deportari. » Sequuntur doctores, communiter, signanter Abbas, c. I. h. t. n. 1; Engel, h. t. n. 4; Pirhing, eod. n. 3. Veniunt autem nomine majorum pater, avus, proavus, cæterique ascendentes in linea recta l. *Jurisconsultus*. 10. ff. de *Gradib. et affinibus*.

11. *Majorum et parentum nomine qui veniant? Item quid juris, si majores in diversis*

jacent sepulcris? — Controvertunt autem doctores, ubinam quis sepeliri debeat, casu quo majores in diversis jacent sepulcris. Probabilior tamen, et juri conformior doctrina videtur sequens, videlicet I. Quod si abavus, proavus, et avus in uno, pater vero in alio specialiter sibi electo loco jaceret, filius sepeliri non deberet in sepulcro patris, sed majorum, nisi pater pro se, et posteris aliam sepulturam expresse elegisset. Glossa, in *c. Is qui. 3. §. Ab antiquo.* h. t. in 6; Engel, eod. n. 6; Sylvester, § *Sepultura.* q. 8. et alii, arg. c. i. et iii. h. t. ubi semper in plurali fit locutio, ut in sepulcro *Majorum*: item in sepulcro *patrum et parentum* (quo nomine etiam majores veniunt, cit. l. X. § 7. ff. de *Gradib. et affinitibus.* ibi: «Parentes, usque ad Tritavum nominantur») item in sepultura majorum ab antiquo, » *c. Is qui. 3. h. t. in 6. Sepeliantur*: atqui hæc jura magis verificantur, si in præfato casu, filius non in sepulcro solius patris, sed majorum antecedentium sepeliantur, ut consideranti patet, ergo. Dicitur autem notanter, «Nisi sepulturam pro se et posteris expresse elegisset:» hoc enim in casu filius utique in sepultura patris sepeliri deberet, arg. can. 3. § *Item in novo.* cau. 13. q. 2. Ratio est, quia si posterius aliam sepulturam non eligant, in similem patris electionem consentire, sicque sibi ipsis sepulturam tacite elegisse censentur. Sepultura autem electa omnes præcedit dicta n. 9. ergo. II. Si abavus et proavus in uno, avus vero, et pater in alio quiescant loco, filius sepeliendus erit cum patre et avo, Engel, loc. cit.; Pirhing, loc. cit. n. 4; Sylvester, loc. cit. q. 8; Barbosa, de *Offic. et potest. paroch.* cap. xxvi. n. 32, et in c. i. h. t. n. 2. Old. consil. 23. Ratio est, quia unio sepulture procedit ex quadam charitate et mutua dilectione, quæ fuit inter vivos; major autem filii charitas seu dilectio præsumitur fuisse erga proximiores majores patrem nempe, et avum, quam erga remotiores abavum nempe et proavum; ergo cum proximis sepeliendus est; præsertim, cum tunc æque satisfiat juris textibus, ac si in sepulcro remotiorum sepeliretur. III. Si quis majorum in alio jacet sepulcro, sepeliendus erit filius in propria parochia. Barbosa, in c. i. h. t. n. 2; Engel, h. t. n. 6. et alii. Ratio patet, quia tunc censetur carere sepultura majorum; carens autem sepultura majorum sepeliri debet in sua parochia, uti statim dicitur n. seq. nisi pater pro se et posteris sepul-

ram elegisset ob rationem superius dictam.

12. *Qui non habet sepulturam majorum, nec aliquam sibi eligit, sepelitur in sua parochia.* — Resp. III. Si quis sepulturam majorum non habet, nec sibi ipsi aliquam eligit, vel si habet, aut eligit quidem, sed ad eam commode portari nequit, sepeliendus est in propria parochia, ubi domicilium habuit, sacramenta percepit, divina audivit. Ita communis et certa, arg. c. i. c. *Ex parte.* 5. et c. *In nostra.* 10. h. t., juncto c. i. et iii. in 6. Ratio est, quia cum dignus sit operarius mercede sua, merito quisvis ibidem sepeliri jubetur, ubi in vivis refectionem spiritualem percepit, ut operarius, parochus nempe, occasione sepulture etiam mercedem recipiat ab illo, cui in vivis operas spirituales exhibuit; prout innuitur c. i. h. t. indeque etiam præcipitur, ut si quis in alieno sibi electo, vel majorum sepulcro sepeliatur, ob dictam rationem parochus portio canonica tribuatur, de qua magis § seq. Et hæc de sepultura catholicorum in genere; quia vero jura de sepultura quorundam in specie specialiter disponunt, ideo circa speciales.

13. *Clerici non beneficiati ibi sepeliuntur, ubi laici.* — Quæritur III. Ubinam sepeliendi sint clerici sæculares? Resp. I. Clerici beneficium non habentes ibidem, ubi clerici, sepeliri debent, in sepultura nempe sibi electa, vel in sepultura majorum, si habent, vel denique in parochiali sua Ecclesia. Unanimes. Ratio est, quia cum jura speciale de eis nihil statuunt, idem de eis dicendum, quod de sepultura catholicorum ut sic jura communiter statuunt: «Nam ubi jus non distinguit, nec nos distinguere debemus, » l. de *Prelio.* ff. de *Publician. in rem act.* et verba generalia generaliter sunt intelligenda, c. *Quia circa.* 22. de *Privileg.*

14. *Beneficati vero ibi ubi beneficium habent, etsi alibi domicilium habeant.* — Resp. II. Clerici beneficiati tam simplices, quam curati, qui sepulturam majorum non habent, nec aliquam sibi specialiter eligunt, sepeliri debent in Ecclesia, vel cœmeterio illius parochiæ, ubi beneficium habent, et servitium cum residentia exhibent; etiamsi in aliena constanter et perpetuo habitent, ibique moriantur. Ita Barbosa, in c. i. h. t. n. 4; Vallensis, h. t. n. 6; Sannig., h. t. n. 8; Bellet, *Disquisit. cleric.* p. I. § 3. n. 9. 10. 11. et 20; Tuschus, litt. P. conclus. 99, n. 5; Joan. Asin., in l. *Familiaria.* ff. de *Relig. et sumpt. fun.*; Bursat, consil. 226. n. 18. et 19; Pi-

rhing, h. t. n. 9; Murga e communis aliorum, arg. c. i. h. t. et c. ii. eod. in 6. ubi statuitur, illos, qui sepulturam sibi non elegerunt, et majorum sepulturam non habent, sepeliri debere, ubi «pabulo cœlesti refici consueverunt, » c. i. h. t. seu ubi «officia consuevit audire divina, et ecclesiastica recipere sacramenta, » c. ii. h. t. seu «a quibus receperunt salutis pabula, » c. iv. h. t. Atqui clerici beneficiati ibi divina audiunt, et sacramenta percipiunt, ubi beneficium habentes, servitium cum residentia exhibent, prout certum est; ergo. Ratio est, quia clericus beneficiatus vere ibidem parochianus est; cum alias non ibi, sed alibi sacramenta percipere, et divina audire statutis a jure temporibus deberet. arg. c. *Omnis utriusque.* 12. de *Pœnit. et remiss.* Accedit, quod parochus jus sepeliendi suos parochianos a sacris canonibus attribuitur tanquam merces laboris spiritualis, quem in sacramentorum, et officiorum divinorum administratione parochianis, in vivis exhibet, arg. cit. c. i. h. t. et c. fin. de *Paroch.* ibi: «Ab eis temporalia non exigant, quibus spiritualia non ministrant:» ergo, qui prælati clericis non parochus loci, in quo habitant, sed parochus loci, in quo beneficium habent, divina administrat, non ille, sed iste jus sepeliendi habebit, et per consequens parochus erit.

15. *Solvitur objectio: Domicilium habet clericus, ubi residet.* — Dices: Ubi quis domicilium habet perpetuum, ibi parochianus est; ergo etiam ibidem sepeliri debet, arg. c. *Is qui.* 3. h. t. in 6. et c. fin. de *Paroch.* Resp. Disting. Ant. Ubi quis domicilium habet, ibidem parochianus est, si ibidem statutis a jura temporibus divina et sacramenta percipit, conceditur: secus, negatur ant. et consequens. Unde quia clericus beneficium cum residentia habens, ibi percipit sacramenta, ubi ratione beneficii residere, et divinum obsequium exhibere debet, alibi parochianus non erit; etsi ibidem materiale domicilium, seu habitationem habeat. Resp. II. Negando suppositum, quod clericus beneficiatus in aliena parochia perpetuo habitans, ibidem verum ac proprium domicilium in sensu juris ad propositum habere dicatur; cum ratione beneficii domicilium contrahat ibi, ubi residere tenetur, uti, bene advertit Donatus, tom. III. tract. IX. q. 26; Bursat, consil. 226, n. 18; Vallensis, h. t. § 2, n. 6, arg. c. iii. de *Temporib. ordination.* in 6. Nam sicut a pari clericus aliquis cathedralis, vel alius beneficia-

tus ad residentiam adstrictus, in Ecclesia sua residere dicitur, si ibidem temporibus suis debitum obsequium divinum exhibet, licet in loco alterius parochiæ domicilium et habitationem materiale habeat: ita etiam domicilium in sensu juris habere, ibique parochianus esse dicitur, ubi residet, et divina percipit; licet alibi seu in alia parochia corporaliter habitet; cum hoc ad præsens prorsus sit per accidens, arg. cit. *Juribus.*

16. Instabis: Clericus beneficiatus recipit Viaticum: et Extremam Unctionem a parochio loci, in quo corporaliter habitat, seu ubi domicilium et habitationem suam materiale habet, licet beneficium cum residentia habeat: ergo etiam parochi parochianus, et per consequens ab eodem sepeliendus erit: cum Viaticum et Extremam Unctionem non nisi proprius parochus impertiat. Resp. concess. ant., negando consequens, quia in ordine ad sepulturam, sacri Canones non attendunt locum, ubi quis in extremis reficitur sed ubi in vivis cœlesti pabulo refici consuevit (notetur terminus *consuevit.*) prout dicitur c. i. h. t. seu ubi in vivis «officia consuevit audire divina, et ecclesiastica recipere sacramenta, » uti habetur c. ii. eod. in 6. Unde quia clericus in vivis sacramenta percipere consuevit in loco beneficii, ibidem sepeliri debet, non obstante, quod Viaticum a parochio loci, ubi habitat, recipiat; quia hoc non recipit, quasi vero dicti parochi parochianus esset; sed quia parochus proprius fines et territorium parochi, ubi habitat intrare, ibique divina ipso invito administrare nequit, arg. can. 1. cau. 13. q. 1. Hinc, etiam fit, quod si quis recreationis, vel negotii causa in villam extra fines suæ parochiæ sitam se conferat, ibique moriatur, non ibidem, sed in propria parochia sua sepeliri debeat, etsi in aliena Viaticum et Extremam Unctionem receperit textu claro c. *Is qui.* 3. h. t. in 6.

17. Urgebis, allegando præsentis controversiæ decisionem apud Donatum, loc. cit. ex qua habetur, quod clericus in illa parochia, ubi habitat, non ubi servit, sepeliri debeat. Resp. ibi non esse sermonem de clerico beneficium perpetuum habente, sed de clerico servitore, seu servitium temporale ad nutum revocabile præstante, consequenter ad propositum nihil contra, sed pro nobis probare, præsertim quia ibidem fatetur citatus auctor, etiam servitorem Ecclesiæ perpetuum sepeliri debere in Ecclesia ubi servit,

non ubi habitat : ergo multo magis beneficiatus perpetuus, utpote qui magis unicus est Ecclesiæ, quam aliquis servitor. Unde etiam idem Donatus non obstante dicta decisione nostræ conclusioni adhæret loc. cit. n. 1. dum dicit : « Beneficiatus sepeliri debet in Ecclesia, ubi est beneficiatus : nec refert, quod addat «supple cum cura et residentia : » quia ly et ibi sumi debet pro vel ; tum quia ibidem allegat doctores, qui omnes in sensu divisivo loquuntur : tum quia ipsemet ibid. n. 4. fatetur, etiam servitorem Ecclesiæ perpetuum, qui nullam animarum curam habet, sepeliri debere in Ecclesia, cui servit, licet alibi habitet : ergo multo magis beneficiatus. Nec est absurdum particulam conjunctivam et pro disjunctiva capere, quia in jure non raro ita accipitur, vide apud Barbosam, de Diction. §. Et.

18. *Religiosi sepeliuntur in suo monasterio, si illi, vel extra in loco tamen propinquo moriuntur : si in remoto loco, ibidem, vel in sepultura electa sepeliuntur.* — Quæritur. IV. Ubi sepeliendi sint religiosi eorum novitii, et reliqui famuli aut domestici? Resp. I. « Religiosi, nisi forsitan a propriis monasteriis adeo sint remoti, quod ad ea, cum moriuntur, commode portari non possint, nequeunt (cum velle et nolle non habent) sibi eligere sepulturam : sed sunt apud sua monasteria tumulandi. » Sunt verba c. fin. h. t. in 6. Ubi notanda verba, « Nisi a propriis monasteriis adeo sint remoti, ut ad ea commode portari non possint : » tali enim in casu utique sepulturam eligere sibi possunt jure ipso per dictam limitationem id concedente ; et tenet Glossa, ibi : « in casu » Donatus, t. III. tract. X. q. 2 ; Engel, h. t. n. 11, et alii. Ratio est, quia ratione incommoditatis et periculi permittitur, quod alias permissum non est, arg. cit. 3. eod. in 6. et c. *Si duo*. §. *Sane de Procurat.* in 6. quod si in hujusmodi casu sepulturam sibi non eligant, sepeliendi sunt in parochia, in qua moriuntur, idque expensis monasterii, si bona in communi possidet, Donatus, loc. cit. et Glossa, in cit. c. fin. h. t. in 6. ubi citat communem doctorum.

19. *Si e loco propinquo deferentur ad monasterium, nihil debetur parochio loci.* — Si vero decedit in loco propinquo, a quo commode ad monasterium portari valet, ibidem sepeliri debet, arg. cit. c. fin. h. t. in 6. et ibi Glossa, fin. cum communi doctorum. In quo casu nihil tenentur solvere parochio loci,

in quo decessit, etsi Religioso infirmo Viaticum et Extremam Uctionem dederit : uti declaravit sacra Congregatio 1615. 22. maii, apud Donatum, loc. cit. tract. X. q. 2 ; Barbosa, de *Offic. et potest. paroch.*, cap. xxvi. n. 68, possuntque dicti regulares inconsulto parochio defunctum deferre ad suum monasterium, prout eadem sacra Congregatio 1620. 2. julii, declaravit, uti videre est apud Barbosam et Donatum, loc. cit. (ADNOTATIO XXXVII.)

20. *Novitii sepeliuntur in monasterio. Gaudent privilegiis religiosi.* — Resp. II. Novitii sepulturam sibi non eligentes, in monasterio ubi decedunt, sepeliuntur expensis ipsius monasterii, et absque ulla obligatione solvendi portionem canonicam parochi loci Engel, h. t. n. 12. cum communi aliorum Ratio est, quia novitii in favorabilibus veniunt nomine Religiosorum, eorumque privilegiis gaudent, arg. c. *Religioso*. 12. d. *Sentent. excomm.* in 6. Accedunt specialia circa hoc privilegia religiosis concessa (de quibus testatur Donatus, loc. cit.) et universalis religiosorum consuetudo, quæ utique etiam derogaret legi, si quæ in contrarium foret c. fin. de *Consuetud.* Procedit conclusio etsi novitius in proposito fuisset redeundi ad sæculum. Sylvester, §. *Sepultura*. q. 8 ; Engel, loc. cit. Ratio est, quia non voluntas et affectus sed factum mutat statutum et domicilium, l. *Domicilium*. 20. ff. ad *Municipalem*.

21. *Domestici, et servitiales religiosorum, in eorum ecclesia, vel cœmeterio sepeliuntur.* — Resp. III. Famuli, ac servitiales domestici religiosorum pariter absque onere solvendi portionem canonicam sunt sepeliendi in Ecclesia, vel cœmeterio monasterii, si intra illius septa moriantur, nec aliam sibi sepulturam eligant. Roderiquez, t. II. n. 68. a. 2 ; Layman, loc. cit. n. 9 ; Molina, disp. 214. n. 16 ; Pirhing, h. t. n. 9 ; Sorbo, §. *Sepultura*. n. 2 ; Sannig, h. t. cap. v. n. 5 ; Donatus, part. III. tract. X. q. 21. dicens, id dubio carere, cum communi aliorum. Fundamentum conclusionis est privilegium a Summis pontificibus specialiter ad id concessum ; uti videre est apud Sorb. et Roderiquez, loc. cit. Pirhing, loc. cit. etiam citat compendium privilegiorum societatis.

22. *Uxor vidua sepelitur in sepulcro viri, etsi post mortem mariti in aliam parochiam secedat.* — Quæritur V. Ubinam sepeliri debeat uxor sive vidua, sive actu adhuc ligata?

Resp. I. Uxor vidua, etsi sepulcrum majorum habeat, tamen non in eò, sed in sepulcro mariti sepeliri debet. Caret controversia, textus expressus habetur in can. *Ebron.* 2. cau. 13. q. 2. ubi etiam ratio redditur illis verbis : « Ut quos conjunxit unum conjugium, conjungat unum sepulcrum, quia una caro sunt, et quos Deus conjunxit, homo non separet. Quoa si mulier plures viros habuit successive, si sepulturam non eligat, est, cum viro ultimo, cujus domicilium retinet, et honorem, tumulanda, » juxta constitutionem Bonifacii VIII. c. *Is qui*. 3. §. *Mulier*. h. t. in 6. Etiam si talis mulier post mortem ultimi mariti locum habitationis mutet, et ad patrem v. g. vel aliorum extra fines et locum sepulturæ mariti se conferat. Pirhing, h. t. n. 12 ; Sylvester, §. *Sepult.* q. 8. dict. 5 ; Joan. Andreas, in c. *Is qui*. 3. h. t. in 6. et alii. Ratio est, quia non tantum in vita mariti l. fin. §. 3. ff. ad *Municipalem* ; sed etiam post mortem ejusdem, uxor retinet domicilium illius arg. cit. c. *Is qui*. 3. h. t. in 6. ibi : « Cujus domicilium retinet, et c. *Ex parte*. 15. de *Foro compet.* juncta l. III. c. de *Privileg. schol.* et can. 3. cau. 13. q. 2. ibi : « Unaquæque mulier sequatur virum suum, sive in vita, sive in morte. » Accedit, quod etiam in tali vidua aliorum se conferente militet ratio juris allegata, scilicet, « ut quos unum conjunxit conjugium, conjungat unum sepulcrum. »

23. *Uxor adhuc ligata ubi sepeliatur.* — Resp. II. Si uxor actu adhuc ligata, ante virum moritur, nullibi sibi electa sepultura, debet sepeliri in sepultura mariti, si hic aliquam sibi jam elegit, aut in sepulcro Majorum sepeliri statuit. Abbas, in c. VII. h. t. n. 6 ; Barbosa, ibid. n. 4 ; Pirhing, h. t. n. 12 ; Sylvester, §. *Sepultura*. q. 8. dict. 5. arg. cit. can. 2. cau. 13. q. 2. Ratio est, quia maritus animi destinatione ibidem jam censetur esse sepultus. Si vero maritus voluntatem suam circa sepulcrum nondum declaravit, sepelienda erit uxor in sepulcro majorum, si habet, vel in Parochia, ubi decedit, conformiter dispositioni juris communis supra allegati. Ita doctores citati.

24. *Idem quod de uxore, etiam reciproce de marito dicendum est ratione sepulturæ.* — Porro utrum ea, quæ dicta sunt de sepultura uxoris reciproce etiam dicenda sint de sepultura mariti, ita ut hic quoque in sepultura uxoris sepeliendus sit, si nullam sepulturam eligat? controversia est inter doctores, Syl-

vester enim loc. cit. quem sequitur Pirhing, h. t. n. 10. negative respondet : tum quia cit. can. 3. cau. 13. q. 2. solum dicitur, « quod mulier sequi debeat virum et in vita, et in morte : » non autem dicitur e contra de viro : tum quia absurdum est, si maritus sequitur dispositionem mulieris, arg. l. *Si ita*. 45. ff. de *Leg.* 2. Abbas vero in c. de *uxore*. 7. h. t. n. 7. affirmativam tenet, quæ sane videtur probabilior ; eo quod revera eadem prorsus militet juris ratio in marito, quæ in uxore, can. 2. cau. 13. q. 2. expressa videlicet, « ut quos conjunxit unum conjugium, conjungat unum sepulcrum ; quia sunt una caro, et quos Deus conjunxit, homo non separet : » ubi autem eadem ratio, eadem juris dispositio, arg. c. *Inter corporalia*. 2. de *Translat. episc.* et l. *Ideo*. ff. de *Leg.* ibi « Semper quasi hoc legibus inesse credi oportet, ut ad eas quoque personas, et ad eas res pertineat, quæ quandoque similes erunt : quia non possunt omnes articulis singillatim comprehendere, sed cum in aliquo casu sententia eorum manifesta est, is, qui jurisdictioni præest, ad similia procedere, atque ita jus dicere debet, » uti habetur l. *Non possunt*. ff. eod.

25. *Solvitur objectio. Vocabulo fœmineo non continetur masculus.* — Nec obstant rationes in contrarium, quamvis enim vir non teneatur tam in vita, quam post mortem sequi uxorem, sicut uxor tenetur sequi virum : tenetur tamen hic illam sequi post mortem, si non vigore can. 3. tamen vigore can. 2. cau. 13. q. 2. ob juris omnimodam identitatem. Nec est absurdum, si sequitur vir dispositionem uxoris, si aut jura exigant, aut mulier rationabiliter disponat. Neque in contrarium stat l. XLV. ff. de *Legat.* 2. ab adversariis citata, utpote ubi non id, quod ipsi dicunt, sed illud tantum dicitur, quod vocabulo « fœmineo masculus non contineatur ; supple nisi aliunde præsertim ex ratione juris contrarium appareat. Accedit, quod vir uxorem sequi ad eundem locum sepulturæ necessario non teneatur, cum possit, si velit, propriam sibi eligere sepulturam, quam si non eligit, sepulturam uxoris tacite eligere, et affectu maritali illud juris velle videtur, « ut quos conjunxit idem matrimonium, conjungat idem sepulcrum. »

26. *Hospites et peregrini transeuntes sepeliuntur in propria parochia, si illuc commode portari valent : secus in parochia loci, ubi decedunt.* — Quæritur VI. Ubi sepeliri debeant